

quam conditio dicenda. Sed de urbis origine hactenus.

Nunc quia in dubium venire potest, unde recentiores Veneti sint orti, paucis expediam, ad quos mortalium primordia gentis sint referenda. Certo scio, si quis id querat, quam plurimos, immo fere omnes, ad Paphlagonas Henetos, qui cum Antenore venerunt, decursuros, secutos videlicet ipsum nomen: sed si quis rem altius inspexerit, procul dubio inveniet, parvam omnino originis partem ad illos attinere. Trojanus fuit Antenor, unde Patavini sunt Trojanis, & qui eum secuti, ac longe plures quam Heneti: qui ubi in Italiam ventum est, passi sunt in appellationem Henetorum venire, non quod aut pauciores essent quam illi, aut dignitate inferiores: sed quia speciosius visum est, fastigium regiae dignitatis penes Antenorem, & reliquos deinceps suos esse, quam nominis appellationem, pluris rem ipsam, quam umbram nominis facientes. Quod & ii qui in Latium cum Aenea venerunt victores, in quos vicissent, nomen transcribi facile tulere. Aquilejenses ad haec Latini fuerunt coloni, Concordienses Romani: hi priscis Venetis interjecti Gradum Caprulasque tenuere, quum Hunnico tumultu solum verterunt: utrinque procedente tempore in urbem quae nunc est, migratum esse manifeste constat. Quod quum ita sit, ab Roma, Latio, Ilioque Venetam progeniem verius, quam ex Paphlagonia aut Gallia oriundam dixeris. Et haec quam pressius potuimus, de gentis origine & vetustate.

Nunc autem quis status, quive novae civitatis mores ab initio fuerint, quae parsimonia, quae religio, dicam, si prius illud restatum reliquero, fuisse e numero scriptorum quosdam, qui originem urbis ad annum salutis quinquagesimum sextum supra quadringentesimum rejicant, estque in illis Forliviensis Blundus, secutus & ipse eorum opinionem, qui post eversam Aquilejam urbem aedificari cœpisse arbitrati sunt: sed quam aperte decipientur, vel ex eo intelligi potest, quod sexto ante anno, qui quinquagesimus supra quadringentesimum ab Christi incarnatione fuit, Aquileja, ut quidam tradiderunt, ab Hunno cœpit obsidione premi: ajuntque eam obsidionem in tertium annum, non amplius dis-

*Origō Venetorum recentiorum.*

*Infantia civitatis Veneta.*